



APPENDIX

DE

VARIIS SIMPLICIUM PRÆPARATIONIBUS.

PRÆPARATIONES ANIMALIUM.

SANGUINIS HIRCINI

PRÆPARATIO.

Hircus adultæ ætatis, boni habitus nutriatur per quadraginta dies herbis diureticis ac lithontripticis, ut Petroselino, Fœniculo, Saxifraga, & similibus: juguletur diebus canicularibus. Effusus Sanguis post coagulationem in partes scindatur, quæ supra cribrum extensæ, ac linteo coopertæ in hypocausto aut furno modice calefacto siccentur.

IDA-

Exhant

ADIPUM ET MEDULLARUM

PRÆPARATIO.

Adipes, Axungia, Medulla, & Pinguedines quælibet aqua pura sæpius abluta, a sanguine & pelliculis si opus fuerit repurgata liquentur in balneo-maris, ac per linteum percolata in proprium vas recondantur frigido loco ad annum servandæ.

OESYPI EXTRACTIO.

Lana succida ex collo, axillis, & interfeminibus Ovium detonsa aqua ferventi macerentur per sex horas, ac rursus fervefacta bacillo agitentur ut pinguedinem in aqua deponant. Sepositis lanis ac fortiter expressis, aqua pinguitudine imbuta de vase in vas ex alto effundatur refundaturque, donec valde spumosa fiat. Sedata spuma auferatur pinguedo supernatans: aqua vero iterum effundatur & agitetur ad novam spumescentiam. Id toties fiet quoad separata fuerit omnis pinguedo: est Oesypus vulgo Isopus humida, aqua pura sæpius abluenda donec albescat.

PULMONIS VULPINI PRÆPARATIO.

Pulmo Vulpis recenter mactata, exemptis canaliculis omnibus arteriosis ac venosis, vino odorato abluatur, & a sanguine purgetur: in ollam inditus siccetur in furno modice calente: Absinthio vel Ruta involutus recondatur.

Eadem

Eadem fere ratione membranaceæ & carnosæ Animalium partes præparentur.

LUMBRICORUM PRÆPARATIO.

Lumbrici terrestres Vino abluantur donec omne inquinamentum deposuerint: siccati ad usum rependantur.

MILLEPEDUM PRÆPARATIO.

Millepedes sive Asellos Vino Malvatico ablutos exsicca in furno leviter calente: rursus Vino Malvatico imbue quantum fieri potest, & iterum exsicca. Hæc omnia repete tertia & quarta vice: ultimo exsiccatos redige in pulverem, & serva ad usum.

SERICI USTULATIO.

Folliculi Serici ex quibus papiliones nondum enati fuerint minute incidantur, exteriori lanugine abjecta. In ollam novam inditi ustulentur levissime, ut possint redigi in pulverem.

ALBI GRÆCI PRÆPARATIO.

Canis longo jejunio maceratus solis ossibus nutriatur per plures dies. Excrementa albi coloris supra lapidem lævigentur, & in pastillos fingantur.

COR-

CORTICUM OVORUM

PRÆPARATIO.

Ovorum Cortices diu ac leviter quassati aqua fervida abluantur, ut membranulæ omnes secedant: calcinentur levissime, & supra porphyritem lævigentur.

CANCROZUM FLUVIATILIUM

PRÆPARATIO.

Cancros fluviatiles vel eorum loco Gammaros æstivo tempore captos ustulabis igne mediocri, & usque eo torrefacies ut in pulverem redigi, & supra lapidem commode lævigari possint.

OCULORUM CANCROZUM

PRÆPARATIO.

Oculos Cancrozum in pulverem redactos mole supra porphyritem, Aquam rosaceam ubi opus fuerit instillando, usque ad perfectam lævigationem: ex massa fiant pastilli in umbra siccandi.

Eadem præparatione utere pro

Margaritis,

Matre perlarum,

Coralliis,

omnibusque Testaceis sive Ostracodermis.

PRÆ-

COR-

PRÆPARATIONES VEGETABILUM.

RADICUM PRÆPARATIO.

Radices plantarum nostratium idoneo tempore collectæ, idest primo vere si fieri potest evulsæ, a fibrillis inutilibus ac lignea medulla ubi opus fuerit repurgatæ, ac in partes sectæ ad umbram potius quam ad Solem exsiccentur.

HERBARUM PRÆPARATIO.

Herbæ dum maxime vigent, ac pleræque dum in florem se induunt colligendæ: scaporum infima parte abscissa, foliisque sponte arescentibus abjectis, loco a ventis perflato in umbra siccandæ.

FLORUM EXSICCATIO.

Flores ab adhærentibus petiolis & calycibus quantum fieri potest repurgati, & late supra tabulam extensi celeriter siccantur ad Solem, vel in hypocausto leviter calefacto: statim vero ut exsiccati fuerint removendi, & in vase optime clauso servandi.

SEMINUM PRÆPARATIO.

Vix aliam præparationem requirunt Semina quam

M m m

ut

ut a capsulis & vasculis eximantur ac si humidiora fuerint leniter siccentur.

ESULÆ RADICUM PRÆPARATIO.

Esulæ Radices detracto cortice macerentur per tri-
duum in Aceto fortissimo postea exsiccentur.

AMMONIACI PRÆPARATIO.

Maceretur Ammoniacum in sufficiente quantitate
Aceti acerrimi aut Vini generosi modico calore do-
nec dissolvatur: solutio lactescens coletur per lin-
teum, deinde inspissetur leniter ad melleam consi-
stentiam. Eadem ratione præparentur

Galbanum,

Sagapenum,

Opopanax,

Bdellium,

aliæ item lacrymæ & succi, quo Electuariis, Un-
guentis, & Ceratis commodius misceri possint.

TEREBINTHINÆ LOTIO.

Terebinthinam Venetam coque in Aqua commu-
ni dum solidescat; post ablue pluries Aqua Anoni-
dis, massam ducendo ac reducendo, & sic præpa-
ratam in usum serva.

SAC-

SACCHARI CLARIFICATIO.

Albumina Ovorum duo totidem Aquæ communis libris affunde: agita bacillo dentato in vorticem acto donec spumescant: adde Sacchari libras quatuor; mox lebetæ ad ignem admoto, bulliant omnia simul, quoad spuma colligatis Sacchari inquinamentis liquori supernatet. Sublata crassiori massa, quod reliquum est in linteum colatorium, vel manicam Hippocratis effunde: traicietur Saccharum clarificatum, ad debitam consistentiam recoquendum.

Hac ferme ratione Syrupi omnes, Succī, ac Liqueores reliqui clarificentur.

MELLIS DESPUMATIO.

Mel supra ignem in cacabo vel alio idoneo vase ad levem fervorem detine: intumescet paulatim, ac in spumam elevabitur. Tum vase ab igne remoto, rudicula perforata spumam aufer, ac Mel tepidum cola per linteum rarioris texturæ.

NUCIS MOSCHATÆ TORREFACTIO.

Nucem Moschatam in particulas comminutam supra laminam igni moderato expone, & spathula jugiter move, dum pondere minuatur ad dimidias.

RHABARBARI TORREFACTIO.

Affetur Rhabarbarum supra laminam instar Nucis

Mmm 2

Mo-

Moschatæ: torrefactio autem eo perducatur, dum colorem fuscum acquirat.

SPONGIÆ USTULATIO.

Spongia minutim concisa ustuletur in furno modico calore, ut pulverisari possit.

PRÆPARATIONES MINERALIUM.

TUTHIÆ PRÆPARATIO.

Tuthiam sive Cadmiam factitiam igne vehementi candefactam exingue in Aqua Rosacea: semel atque iterum id repete; postea læviga supra porphyritem ex lege artis.

Simili ratione præparentur

Squama Æris,
Lapis Calaminaris,
Lapis Hæmatites,
Magnes. &c.

ALABASTRI PRÆPARATIO.

Alabastrum mollioresque lapides simili ratione præparentur ut Oculi Cancrorum.

CRY-